

6.5 B #104

Handwritten scribbles and faint markings, possibly including the number '104'.

White adhesive label with illegible markings.

KJA2150
.G88
A2
1601-70
v.2
t.3
c.1

Handwritten scribbles on a small paper fragment.

2023
29159
122388642
51880
8162815
1880
108



B. Stanck
②



Ante mi
Storano

Storano

DN. IOANNIS
GVTIERREZ.
IVRISCONSULTI
PRÆCLARISSIMI
HISPANI

CANONICI DOCTORALIS
ALMÆ ECCLESIE CIVITATENSIS

ET

ADVOCATI PLACENTINI

46331

CANONICARVM QVÆSTIONVM

utriusque fori, tam exterioris quàm inte-
rioris animæ,

LIBER TERTIUS,

QuitotuscircaSPONSALIA DE FVTVRO & MATRIMONIA
verfatur.

Cum INDICE tam capitulorum quàm rerum locupletissimo.



NORIBERGÆ,

Sumptibus Wolfgangi Endteri.

Anno M.DC.XLVII.

BX 1935
697
1697
U. 3

DN IOANNIS
GUTIERREZ
IVRISCONSULTI
PRÆCLARISSIMI
HISPANI
CANONICI DOCTORALIS
ALMÆ ECCLESIE CIVITATENSIS
ADVOCATI PRÆSENTINI
CANONICARVM QVÆSTIONVM
LITERARIARVM
LIBER TERTIUS



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON



132697

EXCELLENTISSIMO
PRINCIPI DOMINO
AC
D. FRANCISCO
GOMEZ
DE SANDOVAL ET ROIAS
DVCI DE LERMA
MARCHIONI PRÆCLARISSIMO DE DENIA
CEA ET AMPVDIA
ET POTENTISSIMI REGIS PHILIPPI III
A CONSILIIS
EIVSQVE EQVORVM PRÆFACTO
AC VT VULGO DICITUR
SV MILLER DE CORPS
TOTIVSQVE CASTELLÆ COMMENDATARIO MAXIMO
ARGISQVE BVRGENSIS
AC DOMVS REGIÆ DE TORDESILLAS PRÆPOSITO
DN.
JOHANNES GUTIERREZ
CANONICUS DOCTORALIS
ALMÆ ECCLESIE CIVITAT:
S. P. D.

EPIGRAMMATARIVS ille Bilbilitanus noster (Excellentissimi Princeps) aternitatem commendans, cuius omnes homines sunt maxime amatores, ait; Victurus, genium debet habere liber. Cui etiam astipulatur Ovidius de Ponto: Scriptis fit viua virtus, experisque sepulchri. Vnde igitur hæc vita aeterna, seu hæc aternitas vitæ, melius paratur, quam ex literis; siquidem homines reddunt non solum immortales, sed penè cum diis æquantur, ad quæ aternitatem nemo vnquam sine bono auspicio, aut alicuius Clarissimi Principis præsentis numine aspirare poterit. Quod igitur præsentius numen?

J ij

numen? quem aptiorem, præstantioremque genium? quem denique Augustiorem Mæcenatem hic meus poterit habere liber, ut per te æternus fiat, quam te nostræ Hispaniæ fulgentissimum sidus? Nam à fulgentissimo gloriae tuæ splendore religionis, quidam me affectus inuasit, & sic uti, qui ex tetra caligine, ad Solis nitorem prorupit in solito radiorum iubare suffusus oculorum lumine cassus caligare incipit; Ita ego literis adhuc tantummodo intentus ad tui nominis claritatem proveniens, alucinari, & cacutire incipio. Sed quod celsitudinis tuæ magnitudo hinc ademit, illinc humanitas, comitas, & facilitas egregia tua ad dicendum inuitat, & impellit. Quid autem te ex antiquissima, & generosissima Gomecorum, & Sandovalium familia esse ortum commemorem, cum nulla sit tam ingenua, & incluta, cui non consanguinitatis, aut affinitatis vinculo sis conjunctus, cuique non minus te illi, quam illam tibi splendoris attulisse cuncti fateantur, sed ut tua est humanitas sæpe in ore habes. Alienæ laudat genus, qui laudat suum; existimans solam virtutem Christiani Principis unicum esse decus, & ornamentum. Quia & genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra putas. Unde ergo tuarum laudum immensa præconia meo hebeti calamo percurram? quod exordium sumam? quemve progressum teneam? prorsus ignoro. Cum earum præsertim vasa congeris, facundissimum quemque Oratorem balbutire, & remorari possint. Quis namque erit tam audax tamque à facundia potens, qui minima tua, & majorem facinora, exigua chartula comprehendere audeat? cum ingentia volumina vnaquaque requirant. Tot, tantæque de tuis egregijs laudibus dicenda se agminatim ingerunt, & sese festinabunda offerunt, quæ hoc encomio prima dicantur, ut me omnino basitare faciant. Si cepero namque de incomparabili prudentia dicere: occurret iustitia, quæ postponi gemebunda dolebit: si de fortitudine egero intrepida, tristabitur temperantia, omnium perturbationum moderatrix ac libidinum inimica, si liber alitatem laudauero, frugalitas ipsa se contemni existimabit. Si clementiam demum extulero, seueritas indignabitur, quamcumque denique arripuero, illa cetera inuidebunt; ita enim in singulis virtutibus eminuisti, quasi reliquas non possideas. Prætereo inuitus animi integritatem, & morum continentiam, & in supremo Regis Philippi Senatu, in decernendis grauissimis causis ac re iudicium, tanta est enim in te æquitas incorrupta, ut ab ea vel unquam latum discedere non sis passus; prætermitto tacitus reliquas corporis, & fortuna singulares dotes, sed non silebo munificam tuam naturam, quæ ita proprietua est, ut cum reliquis omnibus principibus (absit inuidia verbo) nihil commune habeat. Nullus unquam fuit tam miser, cui benignitatis tuæ viscera non patuerint. Nemo tam perditis rebus derelictus, qui apud tuam sacram ancoram per fugium non inuenerit. Quam laudem, benignitas ista ex vniuersis virtutibus generata tibi non peperit? Quid enim sigillatim de religionis cultura dicam? Quid de illibatæ virginis peculiari obseruatione, cui tot tantæque magnifica templa,

& tri-

& utriusque sexus cœnobîa erexisti, & sacrasti, ut non vsquam gazas, & diuitias reponere Deo acceptas potuisse videaris? Quid pietatem in reliquos diuos repetam, præsertimque in Diui Pauli Vallisoletani celeberrimum templum, de quo recte dici potest, quod de Cæsaris Amphitheatro, Vnum pro multis fama loquatur opus. Sed ne tuarum laudum Oceanopaucâ dicendo injuriam irrogasse videar, Thimantbes velo contegam, quod penicillo verborum depingere nequeo, frustra namque de his verba sunt, ad quæ perficienda nulla suppetit facultas.

Quapropter (generosissime Princeps) ne te diutius immerer, Cum tot sustineas & tanta negotia solus, ne prologus maiora promittat in fronte quam habeat in recessu, de me quam breuissime potero nonnihil dicam. Affero imo offero tibi librum jam tertium Canonicarum questionum, (duos namque priores libros de his questionibus, tamquam totius Ecclesiæ Primati, Sanctissimo Patri nostro Clementi VIII. veluti primitias meas consecraui, alia complura volumina in lucem jam edidi, gloriosissimo Regi nostro Philippo II. utpote orthodoxæ Ecclesiæ propugnatori accerrimo, dicam) Post cuius duo luminaria magna, inter reliquos Christianorum Dinastas tu solus es mihi visus, cui omnia mea opera, & me ipsum iure optimo deuoueam: nunc igitur post longa studiorum curricula, & in eis indefessos labores has Canonicas Questiones per te prælo committere exopto, ut si quid parum doctè, & circumspectè dictum fuerit, tu, qui es norma, & Canon, quem Iuriconsulti inspicere debent, corrigas, & emendes. Nam licet per multos annos Iuri Canonico indefesse insudauerim & in Academijs, & conuentibus forensibus Christianorum Regum scripta mea ducantur, & probentur, gloriosissimum tamen duxi, à te prudentissimo Principe probari, ut si aliquid in re literaria luminis in hoc Augustobricensi angulo, protulerim, per te suo candelabro locetur, & præfulgeat, ne in tenebris deliteat, imo Reipublicæ Christianæ profuit, cui pro virili in hoc Doctorali apice semper profui, meque tibi ipsi de meliori nota commenda inque tuam clientelam accipio: tuo namque chypeo suffultus genuinos liuidorum dentes non perhorrescam, quoniam altius decurrit tuæ celsitudinis Sol, quam quo eorum latratu peruenire valeant.

AD LECTOREM.

Hoc opus inceperam, priusquam in publicum exirent tres tomi, quos de Matrimonio postea inscripsit doctissimus Thomas Sanchez Granaten. Theolog. è Societate I. S. V. & quamuis illis visis superuacaneum fortassis videri posset de hac materia ulterius agere, cum exactissime ipse eam pertractauerit illis tribus tomis decem Libros integros continentibus: attamen cum semper in animo habuerim solos tres Canoniarum quaestionum in utroque foro conficere, duobus jamdiu in diuersis materijs in publicum editis; tertium, & vltimum constituere decreui in materia matrimoniali in praxi frequentissima, & vtilissima, tum quia est huiusmodi, tum etiam quia grauissimas causas matrimoniales in praxi summo studio definierim, & ad alias consultus responderim longis commentarijs, quæ in hoc libro suis locis inferuntur, & omnia breuius disferuntur, omissa tantum materia de debito conjugali, & diuortio, de qua per Thom. Sanchez vbi supra 3. tom. lib. 9. & 10. apud ipsum videnda, ne hoc opus plus debito oneremus. Denique eo jamdiu perfecto Ferdinandus Rebello è Societate similiter I. S. V. opus longum de obligationibus iustitiæ in publicum edidit, in quo inter alia plures sectiones, & capita in materia matrimoniali congerit, insuper & de impedimentis matrimonij valde doctè examinat citans Thom. Sanchez, sed quia hic mire & doctissime clario ingenio, & multa lectione textuum, & Authorum suum opus elaborauit, eius ordinem sequi omnino decreui; certus, quod Lectorem huius nostri non poenitebit, si forsan id voluerit perlegere.

DN. IOAN. GVTIERREZ

CANONICARVM
VTRIVSQUE FORI

TAM EXTERIORIS
QVAM INTERIORIS

ANIMÆ

QVÆSTIONVM

LIBER TERTIVS,

Qui totus circa SPONSALIA de futuro & MATRIMONIA versatur.

CAPITVLVM PRIMVM.

Quot sint sponsalia, & quid?

SVMMARIVM.

- 1 SPONSALIA tripliciter sumuntur, vt hic, & numeris sequentibus.
- 2 Sponsalia primo modo accepta sunt futurarum nuptiarum promissio, & num. 3.
- 4 Differentia, que datur inter sponsam de futuro, & sponsam de presenti.
- 5 Sponsi post contractum matrimonij de presenti ante copulam, quandoque appellantur maritus & vxor.
- 6 Sponsa de futuro aliquando in iure appellatur vxor.
- 7 Communis vsus loquendi attendendus est, quando statutum iubet, quod mulier nupta, seu maritata non succedat, si tantum sit desponsata per verba de presenti, non tamen traducta ad domum viri.
- 8 Sponsaliorum significatio propior, & frequentior est futurarum nuptiarum promissio, & nu. 9. ponitur distinctio obseruanda.
- 10 Dispositio quando dicitur fauorabilis, & quando odiosa, & que sunt consideranda, & num. 11.
- 12 Sponsa de presenti nondum cognita decedente, an locum habeat statutum precipiens, ut vxore decedente absq; liberis, vir dotem, vel partem eius lucretur.
- 13 Intellectus tex. in c. 3. circa finem de sententia excommunicationis de percussite clericum cum vxore, matre, vel sorore, aut filia propria turpiter inuentam loquente: & an habeat locum in percussente clericum turpiter inuentum cum sponsa sua de presenti à se non cognita carnaliter, num. 14. & num. 15. an procedat in sponsa de futuro, & numeris sequentibus.
- 16 Adulterium an committatur cum sponsa de futuro.
- 17 L. si vxor 13. in princip. vers. Diuus. ff. ad l. l. de adulter. & in §. si minor eiusdem legit intellectus.
- 18 Circumstantia copule habita cum alterius sponsa de futuro, an sit necessario consuetudo sacerdoti?
- 19 Circumstantia notabiliter aggravans peccatum licet speciem eius non mutet, an sit consideranda? & num. 20.
- 21 Filius natus ex fornicatione cum sponsa alterius de futuro, an sint adulteri? & an hi dicantur filij naturales, vel spurij? num. 22.
- 23 L. si Tauri intellectus.
- 24 Filius natus post votum castitatis simplex an sint naturalis?

Sponsalia tripliciter sumuntur; primo pro futuri matrimonij promissione: secundo pro matrimonio de presenti copula non consummato, vt in cap. 3. loco de presump. & in c. 2. & in c. si de spons. duo. & c. coninger. & c. qui de sponsatam 27. q. 2. & Matth. 1. cum esset desponsata, & c. & ita tenent communes secundum Vivald. in Candel. Aur. 7. factam, in materia de spons. c. 1. q. 1. tertio dicuntur sponsalia munerata, que à sponso sponse dabantur. l. 1. c. si nuptia ex rescript. & ita accipitur l. Reg. c. 18. non habet Rex sponsalia necesse: de prioribus 2. modis sponsaliorum hic agendum est, de tertio autem suo loco.

Sponsalia autem primo modo accepta, sunt futurarum nuptiarum promissio, c. nostrates, §. o. q. 5. & in l. ff. de sponsal. cum siml. co quod veteres per stipulationem futuras sibi vxores sponderent; l. 1. & 2. ff. de sponsal. l. sponso. ff. de verb. significatioue. & ibi Alciat. & Rebuf. in versic. veteres enim. Preposit. in rubrica de sponsal. & matrimo. numero 2. & ibi Marian. Socin. numero 6. D. Couarr. in quarto, de sponsal. prima parte, cap. primo, in principio. Petrus Nicol. Motius de sponsal. in principio num. 6. Victoria in summ. in materia de sponsal. in principio. D. Thom. Nauar. & alij plures, quos refert & sequitur Vivald. in suo Candelabr. aureo septem sacramentorum, titulo de sponsalib. cap. 1. nu. 3. pagina 331. Marc. Ant. Cuch. lib. 5. institut. Maidr. tit. 10. nu. 2. Mascard. 3. tom. de probat. conclusioe 133. est communis inter omnes DD. secundum Petrum de Ledefma in summ. de sponsal. cap. 3. pag. 29. Thom. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disputatioe 1. num. 7.

Vnde D. Thomas in 4. distinctioe 27. quest. 2. art. 1. ad 6. quem sequitur Cuch. vbi supra numero 1. dum appellat sponsalia sacramentalia, quædam matrimonij, sicut, exorcismum baptismi, intelligendus est de sacramentalibus matrimonij, id est de præuis ad ipsam matrimonij sacramentum: non vero quod sponsalia habeant sanctitatem aliquam præuiam ipsi sacramento matrimonij, sicut exorcismi, habent sanctitatem aliquam; qua ratione dicuntur sacramentalia, ut obseruauit Petrus de Ledefma de matrim. questione 43. articulo 1. sal. 9. 6. §. vltimo supponendum est; quem refert, & sequitur Thom. Sanchez vbi supra num. 8. & ita DD. nostri vxorem à sponsa, que conjugalem consensum præstitit, in hoc